

## MICHAELIS STIFELII

quid faciat figura nihil (quam etiam cifram uocant) scilicet locum occupat, ut hic 304, facit ultimam figuram, id est 3. significare trecenta, quæ sine cifra (ut hic 34) solum significaret triginta &c.

Iam si magnus tibi propositus fuerit numerus, id est, qui multas habeat figuras, tu ordinem figurarum partire in membra, ita ut quodlibet membrum habeat tres figuras, nisi forte ultimo membro desit una aut altera, ut in hoc exemplo factum uides.

2 3 2 9 0 8 9 5 6 2 8 0 0.

Vides hic tredecim figuras, & ordinem ipsum uides esse partitum in membra quinque. Quodlibet enim punctum, significat priam figuram, noui membra, esse illam cui supraponitur. Vnde ultimum membrum, id est, extremum à parte sinistra, uides solummodo unam habere figuram hanc 2.

Membrum autem quod in signatione punctorum fuerit ultimum, in enunciatione erit primum.

Membrum autem quodlibet integre recipiatur, ut enunciatur figuræ eius simul, ut iam audies.

Primum itaque membrum enunciandum, est 2. facitque duo millia, millies, millies, millies.

Sequitur 3 2 9. facitque trecenta uiginti nouem millia, millies, millies.

Sequitur 0 8 9. facitque octuaginta nouem millia, millies.

Sequitur 5 6 2. facitque quingenta sexaginta duo millia.

Sequitur demum primū membrum, quod in enunciatione ultimum est, uidelicet 8 0 0, facitque octingenta.

Satis autem uides, ut uocabulum (millies) repetitam, iuxta numerum punctorum sequentiū illud membrum quod enunciatur.

### DE ADDITIONE.

Per additionem efficies unum numerum ex duobus aut pluribus, ut hic, ex duobus supra lineam positis, factus est unus infra lineam positus.

2324